

TITE LIVE, *Histoire romaine*, Livre XXI, IV, 5-8

Qualités d'Hannibal

Plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat. Nullo labore aut corpus fatigari aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par ; cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate, modus finitus ; vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora ; id quod gerendis rebus superesset quieti datum ; ea neque molli strato neque silentio accersita : multi saepe militari sagulo opertum humi jacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt. Vestitus nihil inter aequales excellens ; arma atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus erat ; princeps in proelium ibat, ultimus conserto proelio excedebat.